OFFICIA PROPRIA SANCTORVM

Ecclesiæ S. Pudentianæ Virginis de Vrbe RECITANDA

A Monachis Monasterij Sanctæ Pudentianæ Congregationis Sancti BERNARDI Ordinis Cisterciensis.

Ex Decretis Sac. Rituum Congregationis sub diebus 30. Aprilis 1701. & 8. Aprilis 1702.

DIE XIII. APRILIS.

In Festo Sancti Iustini Philosophi, & Martyris. Duplex.

Omnia de Communi vnius Martyris, præter ea, quæ hic habentur prop.

Oratio.

DEus, qui páruulis primùm, ac per eos sapiéntibus mystéria tua reueláre dignátus es: fac, intercedénte beáto Iustino mártyre tuo, qui insánam séculi sapiéntiā dedóctus Christum crucifixum, & díscere méruit, & docére: vt sanam stultítiæ crucis doctrinam sectándo verè sapiéntes esse valeámus. Per eúmdem Dóminum.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio v.

IVstinus Prisci Bácchij filius Neápoli vrbe Palæstínæ nóbili génere ortus, Romæ commorátus, sermónibus, ac vita páritèr, atque hábitu philósophum egit. Qua ratióne omnes philosophórum scholas, atque sectas scrutátus fúerit, & potissimùm sese addíxerit Platónicæ philosophię, ac tandem eius vanitáte cógnita, sese cōtúlerit ad lectiónem prophetárum, incógniti cuiúsdā senis congréssu & collóquio excitátus, atq; indè veram philosophiam, hoc est, Christi fidē háuserit, narrat ipse in diálogo cum Tryphóne Iudæo. Multa sanè & præclára sui ingénij sacrárū literárū cognitióne apprimè informáti, & in eísdem per quam diligéntèr exercitáti monumēta nobis relíquit beátus Iustinus, éaq; sanè plena vtilitátis, & cómmodi cuiúsque géneris. *Lectio vj.*

INter ea apologiam dúplicem pro Christiána religióne conscripsit sāctíssimus Philósophus, vnam Antonino Pio Imperatóri, & filijs eius, Romanóque Senátui dicátam, álteram eius successóribus Marco Antonino Vero, & Lúcio Aurélio Cómmodo, quibus proméruit pro mercede martyrium. Crescentem Cynicum aduersárium hábuit, cum ipsi, tùm vitæ, cultuíque, ac religióni eius obniténtem, à

quo tandem insidiosè accusátus, iussu Rustici Vrbis Prǽfécti, vnà cum plúribus Christiánis comprehénsus martyrio coronátus est, anno Christi centésimo sexagésimo quinto, in persecutióne Marci Aurélij, & Lúcij Veri. *Lectio vij.*

CVm, autem Vrbis Præfectus ab eo quæsisset, quem in locum ipse cum Christiánis discipulis suis Romæ conueniret, respóndit beátus Iustinus: Ego ad Bálneum cognométo Timóthinum hácténus mansi, neque álium quempiam locū cognósco. Porrò Timóthinę Thermę eędem, & Nouáti dictæ reperiūtur, pósitæ in Vimináli, vbi extant vsquè hódiè eandē thermárum vestigia, superquè Titulus Pastóris eréctus permanet. Patébat sancti Pudéntis Senatóris domus ab initio Petri Romam aduéntus Christiánis, in qua planè significáuit beátus Iustinus, se excéptum hospitio à sanctis Nouáto, atque Timótheo frátribus, eorúmque soróribus Pudentiána, & Praxéde, nóbili reuerà, atq; præcipua in Vrbe Christiána familia, quippè qui omnes se súaque pietátis officijs mancipárant.

Sermo Sancti Patris Nostri Bernárdi Abbátis.

Serm. de S. Clemente. Lectio viij.

ACcéperat beátus Iustinus nóbile genus, amplas possessiónes, hereditátem multam, sciéntiam quoquè quamplúrimam, ita vt óptimus quidam illius témporis philósophus haberétur. Accéperat hæc vniuérsa à Dómino: Dei enim dona sunt étiam hæc. Fidélem ergò se probáuit ei, qui déderat, cum pro eius amóre vniuérsa contémpsit, ómnia detriméntum fáciens, & arbitrátus vt stércora, vt lucrifáceret Christum. Corpus omne expósuit in mortem, atque in fáciem inimico maledixit. Dóminum Deum suum, étiam inter torménta liberè prædicáuit, ingénuè conféssus est. Coronábitur ergò Iustinus, quia legitimè certáuit, quia fidelitèr vicit, quia nec à blandiméntis vitæ huius, nec mortis horróre, à iustitia & à caritáte Christi pótuit separári.

DIE XII. MAII.

In Festo Dedicationis Ecclesiæ Sanctæ Pudentianæ Vrbis.

Duplex primæ classis cum Octaua.

Omnia, vt in Breuiario.

DIE XIX. MAII.

In Festo S. Pudentianæ Virginis.

Duplex primæ classis cum Octaua.

Omn. de Comm. vnius Virg. exceptis ijs, quæ hic habentur prop. Oratio.

DEus, qui beátam Pudentiánam virginem tuam exímiæ pietátis operibus, & insigni in fidei tuæ confessóres caritáte mirábilem effecisti: fac, nos eius méritis, & intercessióne perfécta caritáte feruéntes. Per Dóminum.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio v.

PVdentiána nóbilis virgo Romána, Pudéntis viri primárij

rij filia, paréntibus suis orbáta, cum admirábili pietáte Christiánam religiónem cóluit. Pecúniam ex véndito património redáctam paupéribus distríbuit, seque oratiónibus, ieiúnijs, aliísque austerióris vitæ exercitatiónibus dedit. In his Praxédem sóciam hábuit, eandémque non tàm naturæ vínculo, quam eiúsdem institúti communióne sorórem. *Lectio vj.*

AD id præsértim ánimum piíssima virgo applicuit, vt Christiános hospítio excíperet, & feruénte persecutióne sanctos mártyres recreáret, eorúmque córpora sepultúræ mādáret, sparsúmque ab ijs sánguinem collígeret. Illius quoque ópera tota eius família, in qua nonaginta sex hómines numerabántur, ad Christi fidem conuérsa, à Pio Pontífice sacro baptísmate tincta est.

Lectio vij.

CVm autem ab Antonino Imperatóre sancitum esset, ne Christiani palàm, & públicè sacrifícia fácerent, idem Pius Póntifex in ædibus Pudentiánæ ad Viminálem sitis cum Christiánis sacra celebrabat, quibus illa benignè accéptis, quæ ad vitam necessária essent, suppeditábat. Itaque in his Christiánæ pietátis offícijs migráuit è vita, & in sepúlchro patris ad cœmetérium Priscillæ, via Salária sepulta est, décimo quarto Kaléndas Iunij, anno centésimo sexagésimo secundo.

Sermo Sancti Patris Nostri Bernardi Abbátis.

Lectio viij. Epist. 113.

COndeléctor, virgo Pudentiána, glóriæ virtútis tuæ, qua fallácem mundi glóriam superásti. Profectò necéssitas multórum est virtus paucórū. Paucórum, inquam, paucórum præsértim nobilium. Non enim multos nóbiles sed ignobília mundi elegit Deus. Proindè benedícta tu in nobílibus, quæ pro glória certántibus céteris, de contémptu glóriæ glorióssiùs sublimáris, & sublimiùs gloriáris. Insignior planè, atque illústrior, quod de paucis facta es, quam quod orta de magnis. Illud namquè Dei múnere tuū est, hoc tuórum. Porrò quod tuum est, tantò cáriùs est, quātò ráriùs. Nam si in viris virtus rara est auis in terris, quantò magis in fœmina frágili & nóbili?

In iij. Nocturno, Homilia S. P. N. Bernardi Abbatis, in Euangelium: Simile est regnum cælórum decem Virginibus &c. *vt in Festo S. Franchæ Virg. die 27. Aprilis.*

Die quinta & sexta infrà Octauam S. Pudentianæ Virg. Lectiones desumuntur ex secundo Noct. in Communi Virginum primo, & secundo loco.

DIE XX. MAII.

In Festo S. Pudentis Confessoris. Fuit heri. Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. prætèr ea, quæ sequuntur. Oratio.

DEus, qui ecclésiam tuam noua semper prole fœcúndas, propitiáre sup-

 pli-

plicibus tuis: vt ficut beatū Pudéntem confeſſórem tuum, ſanctóſq; eius Filios pijs opéribus, & virtútibus clarére feciſti: ita ipſórum interceſſióne à vitiórū ténebris eruámur. Per Dñm.

IN I. NOCTVRNO.

De epiſtola ſecunda beáti Pauli Apóſtoli ad Timótheum.

Lectio j. *Cap.4.*

EGo iam delibor, & tempus reſolutiónis meæ inſtat. Bonum certámen certáui, curſum conſummáui, fidem ſeruáui. In réliquo repóſita eſt mihi coróna iuſtítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die iuſtus iudex, non ſolum autem mihi, ſed & ijs, qui díligunt aduéntū eius. Feſtína ad me venire citò.

Lectio ij.

DEmas enim me reliquit, díligens hoc séculum, & ábijt Theſſalónicam: Creſcens in Galátiam, Titus in Dalmátiam. Lucas eſt mecū ſolus. Marcum aſſúme, & adduc tecum: eſt enim mihi útilis in miniſtériū. Tychicū autem miſi Epheſum. Pénulam, quam reliqui Tróade apud Carpum, véniens affer tecum, & libros, máximè autem membránas. Alexánder ærárius multa mala mihi oſténdit: reddet illi Dñs ſecūdùm ópera eius: quem & tu deuíta: valdè enim réſtitit verbis noſtris. *Lectio iij.*

IN prima mea defenſióne nemo mihi áffuit, ſed omnes me dereliquérunt: non illis imputétur. Dóminus autem mihi áſtitit, & confortáuit me, vt per me prædicátio impleátur, & áudiant omnes gentes, & liberátus ſum de ore leónis: Liberáuit me Dóminus ab omni ópere malo: & ſaluum fáciet in regnū ſuum cœléſte, cui glória in ſecula ſeculórum, amen. *Lect. iv.*

SAlúta Priſcam, & Aquilam, & Oneſiphori domum. Eráſtus remánſit Corinthi, Tróphimum autem reliqui infirmum Miléti. Feſtína antè hiemem venire. Salútant te Eúbulus, & PVDENS, & Linus, & Cláudia, & fratres omnes. Dóminus Ieſus Chriſtus cum ſpíritu tuo. Grátia vobíſcum. Amen.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo Sancti Patris Noſtri Bernárdi Abbátis.

Serm. de S. Malachia. *Lectio v.*

DE cœlo vobis hódiè, dilectiſſimi, copióſa quædam eſt benedíctio deſtináta, & fidéliter eam non diſtribui, vobis quidem damnóſum eſſet, mihi verò periculóſum, cui, nimirùm, hæc diſpenſátio vidétur eſſe commíſſa. Nemo ſanè beneficij eſſe cœléſtis, & ſupérno dubitet conſilio definitum, vt ſanctus Pudens hic inabitáret, & in hoc loco obdormíret. Agámus grátias Deo ſuper ómnibus diſpoſitiónibus ſuis, quod indígnos nos tanta eccléſiæ ſuæ vóluit fulcire columna. *Lect. vj.*

ALterū ſiquidem è duóbus ſignum iſtud, quod nobis in bonum factum eſt, perſuádet, quod aut plácitus Deo ſit locus iſte, aut ſibi plácitum fácere vóluit

luit,in quo tantæ ſanctitatis vir conſummatus eſt. Congratulémur, fratres, congratulémur, vt dignum eſt,ſanctoPatrifamilias, quia & pium eſt, defunctũ in hoc loco commemoráre Pudéntem,& pium magis Pudénti congaudére viuénti. Numquid nõ viuit?Et beatè.Nimirùm viſus eſt óculis inſipiéntiũ mori, ille autem eſt in pace. *Lect.vij.*

DEniquè iam conciuis ſanctórum, & domeſticus Dei pſallit páritèr, & grátias agit, dicens: transiuimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Transiuit planè virilitèr, & felicitèr pertransiuit. Transiuit per ignem,& aquam, quem nec triſtia frángere, nec detinére móllia potuerunt. Profectò domũ iſtam decet ſanctitudo,in qua tantæ frequentátur memória ſanctitátis. *Lect.viij.*

SAnctePudens ſerua hanc tuã domum in ſanctitáte & iuſtitia, miſértus noſtri, qui inter tot & tantas miſérias memóriã abundántiæ ſuauitátis tuæ eructámus. Magna eſt ſuper te diuínæ diſpenſátio pietátis,qui te paruum fecit in óculis tuis,magnum in ſuis, qui magna fecit per te,& filios tuos, ſaluans pátriam tuam, magna fecit tibi, introdúcẽs te in glóriam ſuam. Feſtiuitas tua, quæ mérito tuæ virtútis hódiè votiua impénditur, tuis nobis efficiátur méritis, & précibus ſalutáris.

In iij. Nocturno, Homilia S.P.N. Bernardi Abb. in Euangel. Nolite timére puſillus grex &c. *vt in Feſto S. Galgani die 4. Decembris.*

DIE XXVI. MAII.

In die Octauæ S. Pudentianæ Virg. Omnia vt in die feſto eiuſdem, præter Lectiones ij. & iij. Nocturni.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo Sancti Patris Noſtri Bernárdi Abbátis.

Lectio v. *Ser. de S.Mar.*

BEáta virgo Pudentiána lucérna fuit ardens & lucens: eam ſaltèm non pigeat imitári, ſed imitári in eo, quod eſt imitábile, non autem quod mirábile exhibétur. Magnália quidem quæ fecit, quidni mirifica quædam vaſa dixerim virginis huius auro gráuia, gemmis micántia, paritérque matéria, & ópere pretióſa? Noli in his ſapórem quærere, ſed miráre ſplendórem. *Lectio vj.*

LVceat in huiuſmodi lucérna noſtra,& in lúmine eius videámus lumen,quod quidem purum, prout in ſe eſt, nedum præuales intuéri. Non enim eſt iſta lux,ſed vt teſtimóniũ perhíbeat de lúmine, & appáreat tibi interim glorióſus Deus in sãctã ſua, dum non potes ad glóriam eius,ſicut eſt in ſe ipſo.Cęterùm ne putáueris ornátas quidẽ Pudentiánæ lámpades, ſed vácuas inueníri,non eſt fátua virgo,habet in vaſis óleum. *Lectio vij.*

HAbet vinum in phialis,habet intra parópſides iſtas cibórũ cópiam, delícias útique ſpirituáles, vt nõ modò videãt, & miréntur,ſed edant páuperes,

& saturéntur, atque in illis quidèm Dóminum laudent: porrò in his viuant corda eórũ, alioquin quómodò mórtui laudábunt te Dñe? Vt ergo sit iucúnda, decóraq; laudátio in admiratióne, ètiam viuant ex imitatióne, & vt auidiùs sumant delícias, ipsas quoq; diuítias curiósiùs contempléntur. *Lect. viij.*

SIc nimirùm inter splendórẽ & feruórem lucérnæ huius vicárijs quibúsdam affêctibus discurréndum, vt nobis alter ex áltero commendétur, & ex mútua collatióne vtérque complacítior fiat. Persecutiónes ètiam, quas sustinuit propter Christũ, longũ esset numeráre. Pro quibus ómnibus dúbium non est, multiplicìter coronári eam, quæ quidem & si non semel effêctu consummatę passiónis, sed tótiès martyr fuit affêctu deuotíssimæ voluntátis.

In iij. Nocturno, Homilia S. P. N. Bernardi Abb. in Euangel. Símile est regnum cęlórum decem virgínibus. *vt in festo S. Elisabeth à Schonaugia Virg. die 18. Iunij.*

Duodecima lectio de S. Eleutherio Papa, & martyre.

DIE XXVIII. MAII.

In Festo SS. Simitrij, & Soc. Mart. Fuit 26. huius. Duplex.

Omnia de Communi plurim. Mart. præter Orationem, & Lectiones secundi Nocturni. Oratio.

DEus, qui, vt pro veritáte vsque ad mortem mártyres tui Simitrius présbyter, ac sócij eius decertárent; in eórum córdibus flammas tuę dilectiónis accendísti, da nobis eúmdem tuę caritátis affêctum: vt te vnum possidére cupiéntes, te vnũ amíttere treméntes, ómnia mundi próspera, & aduérsa æquálitèr despiciámus. Per.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo Sancti Patris Nostri Bernárdi Abbátis.

Serm. de S. Clem. Lectio v.

COngratulémur, Fratres, sanctis martyribus Simitrio, & sócijs eius, sed iam glória eórum non sine nostra confusióne est. Eccè enim beáti illi mártyres hómines erãt símiles nobis, passíbiles, eádem circúmdati infirmitáte, & carni suæ eódem vínculo naturális affectiónis inhæréntes. Si ergo illi sic glorificárũt Christum in córpore suo, & cálicem salutáris accepérunt: quid nos retribuímus Dómino pro ómnibus, quę retribuit nobis? Eádem certè nos insigníuit ímagine, eódem sánguine nos redémit, & vocáuit in eámdem hæreditátem incorruptíbilem, & incontaminátam, ætérnam, conseruátam in cœlis. *Lect. vj.*

VT quid ergò nõ póssumus & nos cum beáto Simítrio eiúsque sócijs Christi bíbere cálicem? Sed fortè respóndent áliqui: possémus, si opportúnitas non deésset, sed persecutiónis tempus cessáuit. At ego, fáteor, non satis credíderim ista dicéntibus. Quid enim? Quotídiè céditis pũctióni acus vnius, & mucróni vos arbitrámini posse resiste-

sistere? In minimis probate cõflictibus, quam viriliter in maiori certamine stare possitis. Eccè enim vobis nõ dicitur: sacrificáte idólis, & viuite, aut si hoc non vultis, opórtet vos diuersis supplicijs interire. *Lectio vij.*

NOuit Dóminus figméntum nostrũ, nec dat nobis tam forte certámen. Beáto Simitrio, & ipsius sócijs certámen forte dedit, vt víncerent, & discerent, quóniam ómnium potẽtior est sapiéntia. Vestrum autem certámen quale est, Fratres mei? Quotidiè vobis suggéritur in córdibus vestris: Frange órdinẽ tuum, múrmura, détrahe, age remissiùs, infirmitátem simula, respónde ei, qui fortè duriùs tibi locútus est, vt satisfácias desiderio tuo, nec dicitur cuiquã: Nisi hęc féceris, morieris, sed vt multũ, cũ difficultáte & labórę resistes ánimo tuo. *Lect. viij.*

ET quis sustinéret tantã? Hęc enim intùs audire, hæc respondére cõsuéuimus exhortántibus nos, aut foris hómini, aut intùs Spiritui sancto. Si ergò in huiusmodi certámine periclitámur, si vix resistimus, si intérdùm etiam succumbimus, quid in illo tam graui certámine facerémus? Si iuncis fragilibus cedit infirmitas nostra, quómodò telis resisteret? Vidétis, quómodò ad nihilum redácti sumus, & sicut solent mulieres, aut párvuli, pugnántes laudámus álios, pugnare ipsi nõ póssumus. Quid tamen agimus? Omnes certè ad núptias agni vocáti sumus, & in conspéctu eius vácuos apparére non licet. Diligénter ergò considerémus quæ apponúntur nobis, quóniam tália opórtet nos præparáre.

DIE XX. IVNII.

In Festo S. Nouati Conf. Duplex. Omn. de Comm. Conf. non Pont. præter ea, quæ hìc assignantur. Oratio.

DEus, qui inter falláces mundi huius delicias beátum Nouátum confessórem tuum spíritu veritátis, & sobrietátis impleuisti; fac nos eius exemplo, cęlestis, quod toto corde concupiuit, regni amatóres: cadúca ómnia despícere, & ad sola sempitérna tota mente festináre. Per Dóminum.

In primo Noct. Lectiones de libro Ecclesiast. Beátus vir. *vt in Communi Conf. non Pontif. secundo loco.*

IN II. NOCTVRNO.

Sermo Sancti Patris Nostri Bernárdi Abbátis.

Serm. 2. de S. Victore. Lectio v.

GAudéte in Dómino, dilectissimi, qui inter cõtinua suæ pietátis beneficia indulsit beátum Nouátum mũdo, cuius multi saluaréntur exémplo. Iterùm dico, gaudéte, quod factus de médio appropiáuit Deo, vt multò plures eius intercessióne saluaréntur. Habet ex homínibus, cui hóminũ peccáta donet misericors & miserátor Dóminus; habet tempus & locum intercedendi pius & misericors aduocátus, equidem locum quietum & tempus feriatum.

Lectio vj.

IN terris visùs est beátus Nouátus, vt esset exémplo, in cœlum leuátus est, vt sit patrocínio. Hìc infórmat ad vitam, illìc inuitat ad glóriam. Factus est mediátor ad regnũ, qui fuit incitátor ad opus. Bonus mediátor, qui sibi iam póstulans nihil, totum in nos transférre desíderat, & supplicántis affectum, & supplicatiónis fructum. Quid enim quærat sibi, qui nullius eget? Dóminus consérυat eum, & viuíficat eum, & beátum facit eum in glória: nihil illi déerit in loco páscuę collocáto.

Lectio vij.

HÆc dies gloriósę migratiónis eius, dies lætitię cordis eius: exultémus & lætémur in ea. Introiuit in poténtias Dómini, gaudeámus, quia nũc poténtior est ad saluándũ. Hódiè sanctus Nouátus pósito córpore, quo solo prępediri ab intróitu glóriæ videbátur, tantò alácrior, quantò expedítior, penetráuit in sancta, símilis factus in glória sanctórum. Hódiè de nouíssimo & húmili loco, quẽ sibi ex consílio Saluatóris elégerat, ipso summo Patrefamílias euocánte, verus amícus ascéndit supériùs, & est illi glória coràm simul discumbéntibus. *Lect. viij.*

HOdiè despécto mundo, & mundi príncipe superáto suprà mundum Nouátus ascéndit. Ascéndit autem cum imménsa supelléctili meritórum, clarus virtútibus, miráculis gloriósus. Anima eius in bonis demorábitur. Quæris vbi? Cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlórum. Ita cum tálibus & tali in loco sibi sedet: sedet excélsa & fúlgida, sedet lęta bũda & laudans, sedet delicáta & ornáta monílibus suis, stipáta malis, fúlcita flóribus, sedet, inquam, sibi, vácua curis, delicijs affluens, abũndans ótij & quiétis ad vacándum sapiéntiæ.

In iij. Nocturno, Homilia S. P. N. Bernardi Abbatis, in Euangelium: Nolite timére pusillus grex. *vt in festo S. Galgani die 4. Decembris.*

DIE XXI. IVNII.

In Festo S. Timothei Presbyteri, & Confessoris. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pontif. exceptis ijs, quæ hìc sunt propria.

In Hymno Iste Conféssor *dicatur* Hac die lætus méruit suprémos Laudis honóres. *Oratio.*

DEus, cuius grátia beátum Timótheum in Sacerdótem elégit, doctrína ad prædicándũ erudijt, poténtia ad perseuerándum cõfirmáuit, da nobis: ex eius imitatióne fratres nostros, & vitę exémplo instrúere, & patiéntię virtúte confirmáre. Per Dóminum.

In j. Noct. Lect. de libro Sapientiæ. Iustus si morte pręoccupátus. *vt in Comm. Conf. non Pont. primo loco.*

IN II. NOCTVRNO.

Sermo Sancti Patris Nostri Bernárdi Abbátis.

Serm. 2. de S. Victore. Lectio v.

GRatulémur hódiè, fratres, beáto Timótheo, qui in terris

ris pósitus sedit & fleuit super flúmina Babylónis, sedet modò eius ánima ad fontem vitæ, & conuersátio illius secùs torréntem voluptátis, cuius ímpetus lætíficat ciuitátem Dei. Inuénit sibi fontem hortórum, púteum aquárum viuéntium, & cum Samaritána potátur aqua sapiéntię salutáris, vt non sitiat in ætérnū. Datur illi de fructu mánuum suárum, & laudant eam in portis ópera eius, & gloriátur testimónio consciéntiæ, dico, suæ, non altérius. *Lectio vj.*

SEdet cum Angelis, digna planè eórum consórtio, quorū desidério flagrat, puritáte nitet, castimónia decorátur. Sedet inter Apóstolos vir apostólicę grátiæ: nec est quod se abscóndat à cúneo Prophetárum, qui quem illi prædixérunt, glorificáuit, & portáuit in córpore suo. Neque se putat à gloriósis Mártyrum choris beátus Timótheus arcéndum, qui & ipse vna cū Nouáto fratre, ac soróribus Pudentiána & Praxéde várias ærúmnas, multósq; labóres persecutiónis témpore perpéssus est. *Lectio vij.*

SEdet sanctus Sacérdos débita iam suauitáte & securitáte quiétus, secúrus quidém sibi, sed nostri sollícitus. Non enim cum putrédine carnis simul se éxuit viscéribus pietátis: nec sibi sic índuit stolam glóriæ, vt nostræ páritèr misériæ, suæque ipsius misericórdiæ obliuiónē indúeret. Non est terra obliuiónis, quam ánima Timóthei inhábitat, non terra labóris, vt occupétur in ea, non déniquè terra, sed cęlum est. Numquid cęléstis habitátio ánimas, quas admíttit, indúrat, aut memória priuat, aut spóliat pietáte? *Lectio viij.*

FRatres, latitúdo cœli dilátat corda, non arctat: exhílarat mentes, non álienat: affectiónes non contráhit, sed exténdit. In lúmine Dei serenátur memória, non obscurátur: in lúmine Dei díscitur quod néscitur; nō quod scitur dedíscitur. Supérni Spíritus illi, qui ab inítio cœlos inhábitant, numquid quia íncolunt cœlos, despíciunt terras, & non magis eas vísitant, & frequéntant? Numquid quod semper vident fáciem Patris, ministérium euácuat pietátis?

In iij. Nocturno, Homilia S.P.N. Bernardi Abbatis, in Euangel. Sint lumbi vestri præcíncti. *vt in festo S. Famiani die 8. Augusti.*

DIE XI. IVLII.

In Festo S. Pij Papæ, & Martyris. Duplex.

Omnia de Comm. vnius Mart. Pontif. prætèr illa, quæ hìc sunt propria.

Oratio.

OMnipotens sempitérne Deus, qui in ómnium sanctórum tuórū es virtúte mirábilis: da nobis beáti Pij solemnitátem cóngruis honóribus & sédula imitatióne celebráre, qui Fílij tui martyr & Pōtifex, quod ministério gessit, testimónio comprobáuit: & quod prædicáuit ore, confirmáuit exēplo. Per eúmdem Dóminum.

IN

IN II. NOCTVRNO.

Lectio v.

PIus huius nóminis primus Ruffini filius, & Pastóris póstea sanctæ Romanæ Ecclésiæ Presbyteri frater, pátria Aquileiénsis ex Presbytero Románæ Ecclésiæ Póntifex décimo octáuo Kaléndas Februárij renúciátus est, anno Dómini centésimo quinquagésimo quarto, seditq; Antoníno Pio, & Marco Aurélio Imperatóribus Augústis. Quinque ordinatiónibus mense Decémbri Epíscopos duódecim, octódecim Presbyteros creáuit. Extant nonnúlla ab eo præclárè instituta, præsertim, vt Resurréctio Dómini non nisi die Domínico celebrarétur, quod pósteà ab eius successóribus Románis Pontíficibus confirmátum est, quibus id máximè curæ fuit, vt totíus ecclesiæ Epíscopi in paschali celebritáte vnifórmes essent. *Lectio vj.*

AD radíces Viminális collis, in ea parte, quæ Vicus Patrícius cognominátur, in própria sancti Pudentis Senatóris domo précibus beátę vírginis Praxédis sanctíssimus Pontifex iuxtà Nouáti thermas ecclésiam Deo in honórem beátę Pudentiánę vírginis ritè consecráuit, eámquè multis donis exornáuit, & in títulum presbyterálem eréxit primò cōcessum sancto Pastóri fratri suo, & ob id álibi Pudéntis, álibi Pudentiánæ, álibi Pastóris títulus appellátur. In hac ecclésia & domo oratiónis Pius sæpíssimè sacrifícium Deo óbtulit, baptísmi étiam fontem constítuit, benedíxit, ac consecráuit, vbi multos in sanctíssimæ Trinitátis nómine Timóthei, & Simitrij Románæ Ecclésiæ Presbyterórum ópera adiútus baptizáuit. Dum verò beatíssimus Póntifex pij pastóris munus obíret, fuso pro suis óuibus & summo Pastóre Christo sánguine, martyrio coronátus est, quinto idus Iulij, ac sepúltus in Vaticáno.

Sermo Sancti Patris Nostri Bernárdi Abbátis.

Serm. de S. Clemente Papa, & mart.

Lectio vij.

PRetiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum eius. Audiat peccátor & irascátur, déntibus suis fremat & tabéscat. Deprehensus est in astútia sua, cécidit in fóueam, quam fecit, in láqueum incidit, quem teténdit. Inuídia siquídem diáboli mors intráuit in orbem terrárum. Sed eccè pretiósa facta est mors sanctórum. Audi ígitur hostis vitæ, mortis author atténde. Quid valet iam fraus tua, versútia tua quid nocet? Immò verò vt plus doleas, étiam ómnia cooperántur in bonum his, qui secundùm propósitum vocáti sunt sancti. Neque enim áliter, quā ipsa (quę tui est óperis) de te hódiè beátus Martyr, & Póntifex Pius, cuius solemnia celebrámus, morte corporis triumpháuit. *Lect. viij.*

FEcit siquidē beatíssimus pastor Pius de necessitáte virtutem, pęnam peccáti in meritū glo-

glóriæ commutáuit, fidélem se probáuit in módico, vt dignus inueniretur suprà multa constitui. Módicum namque erat, & omninò módicũ quidquid priùs accéperat ánima illa sancta,quãtùm ad eam glóriam,quam præsenti proméruit passióne.Omnis enim delectátio huius mundi, vniuérsa eius glória, quidquid deniq; in eo concupiscitur,prorsus módicum est in illius felicitátis, in illius glóriæ, in illius beatitúdinis comparatióne,si tamen vel módicum dici debet,& non pótiùs nihilum vapor ad módicum parens.

In iij. Nocturno, Homilia S.P.N. Bernardi Abb.in Euág. Si quis vult post me venire. *vt in festo S.Petri Mart. de Castro nouo die 5. Martij.*

DIE XXI. IVLII.

In Festo S. Praxedis Virg. Duplex.

Omnia de Communi vnius Virginis, exceptis ijs, quæ in præsenti assignantur. *Oratio.*

DEus, qui beátam Praxédem vírginem tuam pijs opéribus, & ínsignis in sanctos máryres misericórdiæ virtúte decorásti, da: vt ad consequéndam misericórdiam tuã mereámur eius précibus adiuuári. Per Dóminum.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio v.

INter eos, quos ad Christum Apostolórum Princeps Romę perdúxit, Pudens Senátor omnígena probitátis laude cõspícuus fuit.Hic beatárum vírginum Pudentiánæ & Praxédis pater ita eas in euãgélicę perfectiónis stúdijs instítuit, vt breui eiúsdem ápicem felicitèr attígerint. In ea verò persecutiónis procélla, qua Christi Ecclésiam Marcus Antonínus pérfidè diuexábat, egéntibus Christiánis liberalíssimè opitulabántur. *Lectio vj.*

PVdentiána ad cœléstem glóriam euecta, Praxédes ieiúnijs & oratiónibus vacans,austeríssimam vitam ducens, in prægrándi saxo, quod adhuc in eius ecclésia visitur,excubábat, insectátos à Tyránno fidéles domi occultábat, deténtos in carcéribus & ergástulis alebat, sanctorúmque córpora diligentíssimè perquisíta honorífice sepeliébat, nullísque deerat pietátis offícijs. *Lectio vij.*

MAiórum firma traditióne constat, primum hospítiũ sancti Petri, cum ad Vrbem venit, domum Pudéntis Senatóris fuisse, & illic primùm Christiános cõuenisse, quos sanctíssimus Póntifex Pius primus sedulitáte, & facultátibus Praxédis adiútus in fide cõfirmábat, eáque domo Deo in honórem sanctæ Pudentiánæ eius soróris in ecclésiam consecráta ibi sacraménta ministrábat, sacrámque sýnaxim celebrábat. Praxédes verò sancto Pontífici máximo adiuménto fuit in Christiánę religiónis propagatióne. *Lectio viij.*

IN dies autem magis crescénte persecutióne,cum sanctíssima virgo tantam fidélium stragem æquo ánimo ferre non posset,

Deum

Deum enixè rogáuit, vt si expédiens foret, ab his malis eréptam ad optátas in cœlésti thálamo nuptias euocáret. Annuit piissimis votis cœléstis sponsus, eámque corpóreis vínculis solútam recépit secum perpétuò victurã in cœlis. Eius corpus à Pastóre presbytero elátum in patris & sorórïs sepúlchro, quod erat in Cœmetério Priscillæ via Salária, cónditum fuit.

In iij. Nocturno, Homilia S.P.N. Bernardi Abb. in Euangel. Simile est regnum cœlórum thesáuro abscóndito. *vt in festo S. Heduuigis Reginæ Poloniæ die 17. Octobris.*

DIE XXVII. IVLII.

In Festo S. Pastoris Presb. & Conf. Fuit heri. Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. prætèr ea, quæ sequuntur. Oratio.

Deus, qui beatũ Pastórem fidélem in euangélio Filij tui ministrum in ecclesia tua constituisti: dirige in charitáte tua, & confirma corda nostra: vt & in fide inueniámur stábiles, & in ópere efficáces. Per eúmdem Dóminum.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo Sancti Patris Nostri Bernárdi Abbátis.

Serm. 2. de S. Málachia. Lectio v.

Hodiè, dilectissimi, festiuam recólimus memóriam beáti Pastóris presbyteri, qui in sanctitáte, & iustitia coram Deo ministráuit: plácuit ministérium, plácuit & minister. Grata Deo erat, & plácita in ministro simplícitas óculi, in ministério autem salus pópuli: Quamquam & si ministérij quidem minor efficiéntia sequerétur, nihilóminùs tamen ad Pastórem, & ad ópera eius ille meritò respexisset, cui amica púritas, cui familiáris simplícitas, cuius iustítiæ est de intentióne pensáre opus, & de óculi qualitáte totíus æstimáre córporis statum. *Lectio vj.*

Nunc verò magna ópera Dómini, exquisíta in omnes voluntátes & stúdia beáti Pastóris, magna, & multa, & bona valdè, & si pro bona castæ intentiónis origine melióra. Quanta audíuimus de zelo viri, cum tamen esset suáuis, & mitis, & multæ misericórdiæ ómnibus necessitátem patiéntibus? Qui quasi vnus ómnium parens viuébat ómnibus, quasi gallina pullos suos, sic fouébat omnes, & in velaménto alárum suárum protegébat. Nõ sexus, non ætas, non condítio discernebátur, aut persona: déerat némini, expánso ómnibus grémio pietátis. *Lectio vij.*

Magna illi in cunctis vtriúsque hóminis sui mótibus regéndis, vel cohibéndis censúræ diligéntia, & circumspectio multa. Non enim itá ómnibus intendébat, vt se solum expóneret, solũ curæ exciperet generáli. Erat & sui solícitus. Se ipsum custodiébat. Ita dénique totus suus, & totus ómnium erat, vt nec cáritas à custódia sui, nec proprietas ab vtilitáte communi eũ impedire vel retardáre in áliquo viderétur. Si videres hómi-

minem médijs immérsum turbis, & implícitum curis, díceres, pátriæ natum, non sibi. Si vidéres hóminem solum, & secum habitántem, putáres soli viuere Deo & sibi. *Lectio viij.*

SIne turbatióne beátus Pastor versabátur in turbis, sine ótio tempus, quod ótio déderat, transigébat. Quómodò otiósus, quãdo exercebátur in iustificatiónibus Dómini? Nam & si habébat tempus liberum à necessitátibus plébium, nõ tamen à sanctis meditatiónibus feriátum, non orándi stúdio, non ipso ótio contemplándi. Quam bonus odor Deo in oratiónibus otiósi! Quam bonus hominibus in sudóribus occupáti! Sanctus sacérdos, qui in spíritu humilitátis hóstias pacíficas cęlis frequenter inuéxerat, hódiè per semetipsum introiuit ad altáre Dei, ipse hóstia & sacérdos. O luminàre magnum, & lux in ténebris lucens, meritórũ rádijs illúminans cárcerem, lætíficans ciuitátem! Fuga de córdibus nostris virtútum splendóribus ténebras vitiórum: récipe nos in consórtio lúminis, quo illuminátus & latè foris luces, & intùs suáuitèr ardes, præstánte Dómino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spíritu sancto regnat Deus per ómnia sécula seculórum. Amen.

IN III. NOCTVRNO.

Léctio sancti Euángelij secúndùm Ioánnem. *Lectio ix.*

IN illo témpore: Dixit Iesus Pharisæis. Ego sum pastor bonus, bonus pastor ánimam suam dat pro óuibus suis. Et réliqua.

Homilia Sancti Patris Nostri Bernárdi Abbátis.

Lib. de Conuer. ad Clericos. Cap. 22.

VTinam hódiè quicúmque pastóres nõ sunt, mercenários gregi vellent se exhibére, nõ lupos: útinàm ipsi non læderent, útinam non fugerent némine persequénte: útinam non expónerent gregem, donec lupus véniens viderétur. Nimirùm sustinéndi fúerant, si inueniréntur, præsertim témpore pacis, recipiéntes mercédem suam, & pro mercéde sua saltem in custódia gregis laborántes, dummodò nõ ipsi turbárent gregem, & gratis auérterent à páscuis iustitiæ & veritátis. *Lectio x.*

PErsecútio quidem indubitántèr mercenários à pastóribus ségregat & discérnit. Quando enim transitória damna non tímeat, qui temporália lucra sectátur? Quando terrenam sustíneat persecutiónem propter iustitiã, qui terrenam mercédem plusquam iustitiam quærit? Pastórũ hæc beatitúdo, non mercenariórum, multò minùs latrónum est, vel lupórum. Vsquè adeò siquidem persecutiónem non sustinent propter iustitiam, vt persecutiónem malint, quam iustitiã sustinere, nempè, contrária est opéribus eórum, grauis est etiam eis ad audiéndum. *Lectio xj.*

CÆterùm propter auarítiam, propter ambitiónẽ parátos esse vídeas vniuersa perícula subire.

bire, suscitáre scándala, sustinére ódia, dissimuláre oppróbria, negligere maledicta, vt non minùs perniciósa sit animósitas tálium, quã pusillanimitas mercenariórum. Veris ergo pastóribus dicit pastor eórum, pastor bonus, qui pro óuibus suis ánimam suã pónere non pepercit: beáti éritis, cum vos óderint hómines, & cũ separáuerint vos, & eiecerint nomen vestrum tanquàm malum, propter filium hóminis: gaudéte in illa die & exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cœlis. Siquidem non est, quod futres tímeant, qui sibi in cœlo thesaurizant.

Lectio xij. de S. Pantaleone Mart.

DIE XXX. OCTOBRIS.

In Commemoratione SS. Martyrum, & aliorum Sanctorum, quorum reliquiæ in sacrosancta Eccles. S. Pudentianæ Vrbis asseruantur. Dupl. Omnia de Comm. plur. Mart. prætèr ea, quæ hìc notantur. *Oratio.*

DEus, qui hanc sacrosánctam ecclesiam plurimis voluisti Sanctórum decorári reliquijs: auge in nobis resurrectiónis fidem: & fac nos immortális glóriæ partícipes, cuius in eórum cineribus pignora venerámur. Per Dóminum.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo Sancti Patris Nostri Bernárdi Abbátis.

Serm. 5. In festo omn. Sanctor. Lect. v.

QVamquam, dilectissimi, honórum nostrórũ Sancti non egent, nec quidquam eis nostra deuotióne præstatur. Planè quod eórum memóriam venerámur, nostra interest, non ipsórum. Vultis scire, quantùm intereſt nostra? Ego in me, fáteor, ex hac recordatióne séntio desidérium vehemens inflammári, & desidérium triplex. Primum desidériũ, quod in nobis Sanctórum memória vel éxcitat, vel incitat magis, hoc est, vt eórum tam optábili societáte fruámur, & mereámur concíues, & contubernáles esse spirítuum beatórum, & collætári communióne Sanctórum. *Lectio vj.*

SIngulórum verò recordatiónes quasi scintillæ singulæ, imò quasi ardentissimę faces deuótos accéndũt ánimos, vt eórũ & cõspéctum sitiant & compléxum, ádeòut plerúnque étiam inter eos esse se réputent, modò ad omnes simul, modò ad hos, vel ad illos tota auiditáte & veheméntia corda vibrántes. Non tantùmmodò societas, sed étiam felícitas nobis est optánda Sanctórum, glóriam quoq; feruentíssimo stúdio ambiámus. Hoc ergò secúndum desidériũ, quod ex Sanctórum commemoratióne flagrat in nobis, vt sicut illis, sic nobis étiã Christus appáreat vita nostra, & nos quoq; cũ ipso appareámus in glória. *Lect. vij.*

SAnè vt eam glóriam nobis speráre liceat, & ad tantam beatitúdinem adspiráre, summópere nobis desideránda sunt suffrágia quoq; Sanctórũ, vt quod possibílitas nostra non óbtinet, eórum nobis intercessióne donetur.

tur. Miserémini mei, miserémini mei saltem vos amici mei. Nostis ipsi periculum nostrum, nostis figméntum nostrum, nostis ignorantiam nostram, & dolos aduersariórũ, nostis eórum impetus, & nostram fragilitátem. Vobis enim loquor, qui in eadẽ tentatióne fuistis, qui eósdem superástis conflictus, eosdem láqueos euasistis, qui didicistis ex his, quæ passi estis, compassiónẽ. Amplióri fiducia ad vos confúgio, vos hábeo in ipsa humanitáte consórtes, vt opórteat vos familiáriùs & speciáliùs miseréri ossi de óssibus vestris, & carni de carne vestra. *Lectio viij.*

DEniquè transeúntes ex hoc mundo ad Patrem sancta nobis pignora reliquérũt. Apud nos siquidèm córpora eórum in pace sepúlta sunt, quorũ nómina viuent in séculum, idest, quorum nunquam glória sepelitur. Absit, absit à nobis, animæ sãctę, Ægyptia illa crudélitas pincernę Pharaónis, qui in gradum pristinum restitútus statim oblitus est Ioseph sancti, qui in cárcere tenebátur: non enim erant vnius cápitis membra, nec áliqua pars fidéli cũ infidéli, aut vlla societas Israelitæ ad Ægyptium, non plusquam luci ad ténebras. Interpretátur enim Ægyptus ténebræ, Israël autem videns Deum: atque ideò vbicúnq; Israël erat, lux erat. Hæc verò nostra, & sanctórũ cohęréntia est, vt nos congratulémur eis, ipsi compatiántur nobis: nos deuota meditatióne regnémus in eis, ipsi in nobis & pro nobis militent pia interuentióne.

IN III. NOCTVRNO.

Léctio sancti Euangélij secundũ Matthæum. *Lectio ix. Cap. 5.*

IN illo témpore: Videns Iesus turbas, ascéndit in montem, & cum sedisset, accessérunt ad eum discipuli eius. Et réliqua.

Homilia Sancti Patris Nostri Bernárdi Abbátis.

Serm. 66. de Diuersis.

EOdem órdine, quo præcéssit culpa, subsecuta est étiam culpæ medicina. Primum peccátum est factũ in cœlo per supérbiam præuaricatóris Angeli, qui in se ipso túmuit, & de sorte beatórum spirituum eiéctus, cęlórũ regnum amisit. Contra hoc peccátum dictum est: beáti páuperes spíritu, quóniam ipsórum est regnum cęlórum. Secúndum peccátum commissum est per inobediẽtiam mulieris in paradiso. Ex hoc peccáto facta est caro rebéllis spirituí: vt quóniam spiritus eius non fuit subiectus Creatóri, nec caro sit subiécta spiritui. Contrà hoc est dictum: beáti mites, quóniã ipsi possidébunt terram. Horum duórum peccatórum comprehéndit Dóminus medicinam dicens: díscite à me, quia mitis sum, & húmilis corde.

Lectio x.

TErtium peccátum fuit, quod ipsa mulier virum quoque secum traxit in culpam. Débuit quidem illa peccátum suum deflére, nec áddere peccátũ peccáto,

ro, sed in hoc se putáuit habére consolatiónem, si virum fáceret peccáti sui partícipē. Quodámmodò enim naturále est, vnumquémque velle, siue in vitijs, siue in virtútibus associáre sibi consórtem. Contra hoc peccátū est istud remédiū: beáti, qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur. Quartum peccátum commísit Adam, qui cōsénsit. Adam enim, sicut ait Apóstolus, non est sedúctus, múlier autē sedúcta in preuaricatióne fuit. Illa per ignorántiam, iste peccáuit per infirmitátem. Contrà hoc quartum peccátum adhíbitum est remédium: beáti qui esúriunt, & sitiunt iustítiam, quóniam ipsi saturabúntur. *Lectio xj.*

QVintum equè peccátū commísit Adam, qui própriam culpam retórsit in vxórē. Primò quidem crudélis in se, qui peccátū suum excusáuit, secundò in vxórem, quam accusáuit. Et útiquè satis sumpta est digna de peccáto vindícta, quādò eam accusáuit, cuius amóre peccáuit. Contrà hoc peccátum dictū est: beáti misericórdes, quóniam ipsi misericórdiā consequéntur. Sextum peccátum fecit Eua, quæ cū increparétur à Dómino, cur hoc fecísset, respóndit ei: serpens decépit me, & comédi. Sic declináuit & ipsa in verba malítiæ ad excusándas excusatiónes in peccátis, refúndens culpā in serpéntem, quasi immúnis à crímine, cū nihil obfuísset suggéstio serpéntis, si illa negásset assénsum própriæ voluntátis: & fortè precéssit in ea áliquis motus supérbiæ, vndè sedúci méruit à serpénte. Contrà quòd dictum est: beáti mūdo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt. *Lectio xij.*

SEptimum peccátum factum est extrà Paradísum, quandò Cain consurréxit aduersùs Abel fratrem suum, & interfécit eum. Ex eo iam tempore inueterátū est, vt mali insúrgant in bonos, & ópprimant eos. Huius peccáti remedium est illud: beáti pacífici, quóniam filij Dei vocabūtur. Quod si ab infestatióne cessáre noluerint iniqui, patiénter tólerent eos iusti, audiéntes consolatiónem quæ séquitur, & dicit: beáti qui persecutiónē patiúntur propter iustítiam, quoniam ipsórum est regnum cœlórū. Eccè quam necessárius fuit aduéntus Christi, qui carnem subíiceret spirítui, hóminem pacificáret sibi, Deum reconciliáret hómini.

Monasterij S. Pudentianæ de Vrbe Congr. Reform. S.Bernardi Ord. Cistercien.

CVm Sac. Rit. Congregatio sub die 30. Aprilis 1701. referente Eminentiss. & Reuerendiss. D.Card. Gabriellio Monachis dumtaxat Monasterij S.Pudentianæ de Vrbe Congreg. S.Bernardi Ord. Cisterciensis Festa, & Officia nonnullorum Sanctorum posse celebrari, & recitari benignè concesserit; Ad humillimas modò preces Patris Abbatis eiusdem Cœnobij omnes suprascriptas Orationes, & Lectiones proprias in Festis, & Officiis præfatorum Sanctorum recitandas diligenter reuisas, ac relatas per eumdem Eminentiss. D.Card.Gabriellium, approbauit, ac imprimi posse concessit. Hac die 8. Aprilis 1702.

G. Card. Carpineus.

Loco ✝ Sigilli.

B. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secr.

ROMÆ, Ex Typographia Reu. Cam. Apost. 1702. *Superiorum permissu.*